

L'édition proposée ici a été établie à partir de celle sortie de l'officine des Elzevier, à Leyde, en 1653.

## ELEGIA PRIMA.

## AENEAE EPISTOLA RESPONSORIA AD OVIDIANAM DIDO.

E\_1 v.1 Si licet infando veniam sperare dolori,  
 2 (ah pudet !) invito littera ducta mihi.  
 3 Triste, loqui miseris. Quid vulnera cogis amantem  
 4 non tempestiva tangere cruda manu ?  
 5 Exigis afflatum rapido Jovis igne moveri.  
 6 Cura levis queritur ; maxima cura stupet.  
 7 Vela parant comites, ventisque fugacia pandunt.  
 8 Scilicet hoc, Superi, restat ? Elisa, vale !  
 9 Ancora subducta est : retinacula sola supersunt,  
 10 (dii melius !) ferro non resecanda meo.  
 11 Nam quid ab hoc dubios festinem litore cursus,  
 12 (hei mihi !) quod miseri pignus amantis habet ?  
 13 Nec leve pignus habet Materna per aequora juro,  
 14 per profugae comites Troia sacra viae,  
 15 per patrios manes, germanaque tela pharetram,  
 16 (ah nimis experto tela cruenta mihi !)  
 17 Invitus, Regina, tuis divellor ab oris.  
 18 Invitus, certe, testor, Elisa, Deos.  
 19 Si mihi sponte mea licuisset ducere vitam,  
 20 nec miserum premerent fata maligna caput ;  
 21 filaque nevisent faciles mihi mollia Parcae,  
 22 non interrupta mollia fila colo ;  
 23 una fores, cum qua thalamos sociare jugales,  
 24 et cuperem vitae condere lustra meae.  
 25 Tu desiderium raptae lenire Creusae,  
 26 tu patriam poteras sola referre mihi.  
 27 Digna Deae nato, pharetrati mater Amoris  
 28 non aspernetur quam Venus ipsa nurum.  
 29 Hinc Asia, hinc teretes ubi quaereret Africa baccas,  
 30 aequore quas legit haec, quas legit illa suo.  
 31 Vela laborarent Phrygiae tibi splendida matres,  
 32 textaque Sidoniis bis repetenda cadis.  
 33 Quales induerunt Asia florente paratus

34 Priamides gnatae Priamidesque nurus.  
 35 Irrita sed voveo, fatis prohibemur iniquis.  
 36 Cur miser averso molior ista Deo ?  
 37 Humida cum lucent taciturnis sidera rebus,  
 38 omina me vigilem turbida semper agunt.  
 39 Me patris in somnis Anchisae tristis imago  
 40 terret, et ante oculos statque gemitque meos.  
 41 Jamque subirato similis, nec amica minanti,  
 42 usque retentandum nutibus urget iter.  
 43 Pleionesque nepos et caeliferi Atlantis  
 44 ah quoties medio visus adeste toro !  
 45 Nocte vel hac aderat, vidi, Regina, monentem.  
 46 Ecce, repentino fulgurat igne domus.  
 47 Virga manu, geminis inerant talaria plantis :  
 48 ora galeritus flava premebat apex.  
 49 Nec mora : "Quid Tyriis uxorius arcibus haeres ?  
 50 Nulla adeo Italiae cura relicta tibi ?  
 51 Hic sceptrum Ascanius quondam imperiosa tenebit,  
 52 eque tua longus posteritate nepos.  
 53 Ilion Aenea per te recidiva resurgat.  
 54 Nescio quid majus jam cinis ille dabit.  
 55 Vela para. Rata jussa feram : Jovis ista voluntas.  
 56 Hactenus ; et cessit nox que Deusque simul.  
 57 At mihi dirigit nec opino frigore pectus :  
 58 horror in attonito decolor ore sedet.  
 59 Laomedontee nunc o, nunc parcite genti,  
 60 cladibus o fracti, Dii, precor, este meis !  
 61 Credere cur vobis mea se Fortuna veretur ?  
 62 Cur ea (me miserum !) tam bene nota sibi est ?  
 63 Quid Phrygium Aenean mala fata tenaciter urgent ?  
 64 Parcite : post patriam sera ruina mea est.  
 65 At Diomedee potuisssem pervius hastae  
 66 sternere Sigeam pulverulentus humum.  
 67 Tu quoque, diva parens, (quid enim mihi pectora versas ?)  
 68 debueras soboli consuluisse tuae.  
 69 Nunc plenus plenusque tui mea vota relinquam.  
 70 Heu ! Ubi materni pectoris illa fides ?  
 71 Dardana cur Tyrios tetigerunt lintea portus ?  
 72 Post Trojam decuit dedoluisse semel.  
 73 Atque utinam Italiam monuisses esse petendam  
 74 tunc cum e Rhoeteo littore coepta fuga est.  
 75 Aut inimica Jovem flexisses fata rogando.  
 76 Haud pater immitis difficilisve tibi.  
 77 Aut saltem arsissem feliciter. Omnia ferrem.  
 78 Nunc tua sunt gnato dona pudenda tuo.  
 79 Tu quoque lenisses tibi vulnera facta, Cupido !  
 80 Perditis afflictum proxima quaeque caput.  
 81 Hac Tyrios mihi lege toros, Germane, parabas ?  
 82 Ille bonus fausti sponsor amoris ubi est ?  
 83 Dira quid exerceas in fratrem spicula frater ?  
 84 Verte tuas alio sanguinolente manus.  
 85 Hectors felicem, felicem morte Creusam,  
 86 Ilion arsurae cui rogus ipsa fuit !  
 87 Me quoque nunc utinam premeret cinis ille sepultum !  
 88 Non poteram busto nobiliore tegi.  
 89 Nec tamen obluctor, Superisve vocantibus obsto.  
 90 Dii, precor, exsiliis sit modus ille meis.  
 91 Obsequio tumidos eludit navita fluctus,

92           obsequio durum non male fertur onus.  
 93   Obsequio melius placantur numina, quam si  
 94       fata reluctando flectere saeva pares.  
 95   Ibimus, o Superi, mandataque regna sequemur.  
 96       Sors mala sic vitae tota sit acta meae.  
 97   Tu quoque da veniam justo, Regina, timori ;  
 98       et caelo domitas tradere disce manus.  
 99   Dii facerent, madidasque genas flentemque videres,  
 100       oraque per curas attenuata suas.  
 101   Haud magis indolui, tunc cum nocturna Pelasgi  
 102       Pergama fulminea diripuere manu.  
 103   At tua nunc altos geminavit epistola luctus,  
 104       vulneribusque novis ingeniosa fuit.  
 105   Desine lamentis lacerum divellere pectus.  
 106       Parce tuas lacrimas addere, parce, meis.  
 107   Neu mihi succense caelestia jussa sequenti ;  
 108       invidia Superos exoneraque sua.  
 109   Non tibi verba damus. Testor pia Numina, testor.  
 110       Juranti dubiam parce movere fidem.  
 111   Ipse mihi vises Cyllenius. Ipse per auras  
 112       detulit attonito jussa paterna mihi.  
 113   Ut dare verba velim, prohibet male sana volentem,  
 114       et monet admissi me mea Troja sui.  
 115   Felices, quos non delicta domestica terrent !  
 116       Alterius noxa qui sapit, ille sapit.  
 117   Ilion o utinam numquam perjura fuisset,  
 118       nec Superis pactas stulta negasset opes !  
 119   Staret Apollinei moles Priamea laboris ;  
 120       et tibi jam de me nulla querela foret.  
 121   Ipsa vides instare Deos. Conjurat et unda,  
 122       nec patitur lentas imperiosa moras.  
 123   Aeolus emittit zephyros in vela ferentes,  
 124       signaque mandatae dat manifesta fugae.  
 125   Ut mea Massylo tamen haereat ancora portu,  
 126       numina contemni num sua jussa sinant ?  
 127   Saeva redundabit Jovis in nos ira nocentes.  
 128       Jamque aderit trepidis ultor ubique Deus.  
 129   Quid quod et imperium, quid quod Lavina sequenti  
 130       litora Dii praestant, Ausoniosque lares ?  
 131   Quae, precor, invidia est, si me fortuna meorum,  
 132       Ascanioque movet debita terra meo ?  
 133   Si Tyrias arces, si regna precaria sperno,  
 134       conjugis auspicio regna tenenda meae ?  
 135   Et tamen haud sperno. Si quid modo credis amanti,  
 136       haec mihi vel patria carior ora mea.  
 137   Quid mihi cum regnis, si te, Regina, carerem ?  
 138       Me miserum ! Tanti Troja nec ipsa foret.  
 139   Non ego Sidonias arces, non celsa videbo  
 140       moenia, et aeriis tecta superba minis.  
 141   Felicem te sorte tua ! Me barbara tellus,  
 142       me manet inculti forsan arena soli.  
 143   Me sudor, me bella manent. Tibi regia parta est,  
 144       regia divitiis invidiosa suis.  
 145   Ut mihi contingant tamen omnia, nostraque quamvis  
 146       vota suos habeant ambitiosa Deos.  
 147   Vix tam felicitis sperarim commoda terrae.  
 148       Non ita sunt fati candida fila mei.  
 149   Nunc te per thalamum, sociataque gaudia lecti,

150 perque Deos patrios, hospitiique Deos,  
 151 per merita obtestor, per tot benefacta ; dolori  
 152 contrahe vela tuo, contrahe vela meo.  
 153 Sic bene defuncti requiescant ossa Sichaei,  
 154 lugeat et raptas frater inultus opes.  
 155 Sic nova Carthago Neptunia Pergama vincat.  
 156 Sic tibi det famulas fractus Iarba manus.  
 157 Sic tecum, Regina, diu soror Anna supersit,  
 158 quae, nisi te, nulla digna sorore fuit.  
 159 Nil non fata regunt. Fatorum certa voluntas.  
 160 Parce, precor, duros sollicitare Deos.  
 161 Ergo ego sim tanti, Superis ut, Elisa, repugnes.  
 162 Impia, si nescis, ah pietate tua es !  
 163 Cur tibi vota mori crudelia ? Desine coepti,  
 164 desine. Plus justo dat sibi frena dolor.  
 165 Quo, miseranda, ruis ? Mora desperantibus apta est.  
 166 Utilius, quam tu, consulet illa tibi.  
 167 Quod si me tecum salvum cupis, excute luctus ;  
 168 ne trahat immeritos una ruina duos.  
 169 Interea prorae retinacula demit Achates,  
 170 et jubet invisae pandere vela fugae.  
 171 Hoc tamen, hoc iterum nunc te, Regina, rogabo :  
 172 sis memor Aeneae, sed magis ipsa tui.

## ELEGIA II.

## AD PHOEBUM.

DE KASPARE KINSCHOTIO EX ACADEMIA LEIDENSI HAGAM MIGRANTE.

E\_2 v.1 Haganas mea cura petit Kinschotius umbras.  
 2 Phoebæ, quid in sola nunc, precor, urbe manes ?  
 3 Ferreus hinc teneras secum trahit ille Camenas.  
 4 Dividuis docto non potes esse choro.  
 5 Te quoque cum teneris quin jam trahet ille Camenis :  
 6 at mihi vix posthac conveniendus erit.  
 7 Sors melior tua sorte mea. Fac, sancte Deorum,  
 8 semper ab afflatu sit novus ille tuo.  
 9 Illius o lateri non divellendus adhaere,  
 10 utque velit, nequeat dememinisse tui.  
 11 Ex aequo fac surgat amor, fac surgat utrimque,  
 12 curaque sis illi, cura sit ille tibi.  
 13 Tu quamvis media juvenem complectere in aula.  
 14 Huc, pater, ignotam non potes ire viam.  
 15 Intret Arausiacos, sed te praeunte, penates ;  
 16 ah quoties tritum jam penetrare tibi !  
 17 Huc duce te Clarias Zulichemius intulit artes,  
 18 tempora Daphnaeae cinctus honore comae.  
 19 Ille, Palatino cui pectus Apolline plenum  
 20 carmina Pierio digna furore facit.  
 21 Quem circumvolitant certatim mille Lepores,  
 22 possidet injecta quem Cytherea manu.  
 23 Sit longum patriis haec aula domestica Musis,  
 24 non alia poterant dignius aede coli.  
 25 His adytis responsa, pater, certissima mittis :  
 26 Cirrha, pater, nusquam tam bene nota tibi.  
 27 Ipse Parens Patriae, quo Belgica sospite tuta est,  
 28 victor it auspiciis per fera bella tuis.

29 At tu fulminei Mavortia Principis arma  
 30 rite, pater, foveas, terrificamque manum.  
 31 Pro causa vigilet meliore sagittifer arcus,  
 32 sic Ducis invictum, Phoebe, tuere caput.  
 33 Qualis in Actiaci bellabas gurgite ponti,  
 34 cum tremuit pharetram Memphis adusta tuam.  
 35 Tu ratis Augustae columen, pater, arma Canopi  
 36 irrita ridebas, femineamque Pharon.  
 37 Ridebas trepida Latios sub pellice fascas,  
 38 inque Paraetonia Martia pila manu.  
 39 Ipsa caput belli meritis innexa catenis  
 40 finiit incestos aspide laesa dies.  
 41 Dux quoque sed propriis uxoriis occidit armis,  
 42 victus Leucadio praeda pudenda mari.  
 43 Nunc quoque, Phoebe, rates in Iberas verte pharetram.  
 44 Non minus haec Clariae gens inimica lyrae  
 45 Musa tibi victas Kinschotia debeat hostes.  
 46 Sola triumphali par manus ista Duci.  
 47 Hanc voveo tibi, Phoebe, manum. Nil cultius illa.  
 48 Huic modo fac aliquem, fac, pater, esse locum.  
 49 Quod precor, omne ratum est. Deus, en Deus annuit omen !  
 50 Ille suum vatem conspiciendus agit.  
 51 Tunc, o, quae placuere mihi prius, Haga, tenebis ;  
 52 nobilis Haga armis, nobilis Haga toga ?  
 53 Tun" mihi causa mali ? Sed enim, formosa, caveto,  
 54 ne tantis nimium luxuriere bonis.  
 55 Ah metuo blandas, quarum tibi copia, Nymphas !  
 56 Commodior Veneri nullus in orbe locus.  
 57 O nemus ! O saltus, habitandaque vatibus arva !  
 58 O juga, Pieriis vel potiora jugis !  
 59 Invideo vobis certe, juga. Non mihi posthac  
 60 flexanimo lusus praeleget ore suos.  
 61 Non comiti comes haerebit ; viridemque per herbam  
 62 illius alloquio pascar, et ille meo.  
 63 Quicquid id est, patiar ; dum, quod fuit ante, manebit,  
 64 Phoebe, memorque mei, Phoebe, memorque tui.

## ELEGIA III.

AD J. FRED. GRONOVIIUM, UT OBSERVATIONES ANTIQUARIAS EDAT.

E\_3 v.1 InclYTE Gronovi, cui tot veneranda Vetustas  
 2 hactenus abstrusas larga reclusit opes ;  
 3 cui sua, luminibus non inspicienda profanis,  
 4 pectora nudavit tota, Latina Venus ;  
 5 qualis Acidalia vehitur super aequora concha,  
 6 ah Thetidi quantus Nereisique dolor !  
 7 Aut cum Gargareis Trojanae vallibus Idae  
 8 Laomedonteum constitit ante Parin,  
 9 lenibus errantes Zephyris agitata capillos ;  
 10 in viridi strophium pone jacebat humo.  
 11 At te curarum felicem, vindice quo nunc  
 12 Roma renascentes Martia jactat avos !  
 13 Cingere laurifera frontem, Tiberine, corona ;  
 14 tuque maritales, Ilia, pectus comas.  
 15 Detergant domina squalorem Naidem urna ;  
 16 urna, pater, vitreas tersa ministret aquas.

17 Cur lateas nihil est. Venerandos exere vultus.  
 18 Exsere io flavum, jam redivive, caput.  
 19 Cernis, ut amissos Gronovius addat honores,  
 20 donet et aeterno, ceu prius, ire tibi ?  
 21 Sic juvenes socero revocavit Phasias annos.  
 22 Illo non levius munere munus habes.  
 23 Jamque animas Latia tot majestate verendas  
 24 cerno ruinosis ora levare rogis.  
 25 Fallor ? An ipsa mihi modo visa resurgere Roma est,  
 26 et Dea ruderibus celsior ire suis ?  
 27 Altaque siderea Capitolia mole renasci,  
 28 saxaque septeno relligiosa jugo ?  
 29 Praecipue delubra Dei, quem colle Palati  
 30 proxima Caesareis vindicat ara tholis.  
 31 Tot mystas stupet ille suos, tot sacra Camenis  
 32 nomina Gronovia convaluisse manu :  
 33 dextra salutiferis quos non Epidauria succis,  
 34 non pater ipse sacra restituisset ope.  
 35 O anima, o vatum certissima vita piorum !  
 36 Mystica fax Cirrhae, Pieridumque salus !  
 37 Quas tibi posteritas cumulabit candida grates ?  
 38 Laudis io quantum tam pia facta manet !  
 39 At tu ne dubita vigilatas promere curas,  
 40 neu tenebris noctes abdere perge tuas.  
 41 Suggestit medicas jam quaelibet ora papyros,  
 42 nullaque inexcussa est bibliotheca tibi.  
 43 Non Vaticana cariosa volumina rupe ;  
 44 scrinia non quicquid Parthenopaea premunt.  
 45 Non quae dispositae Medicea per atria chartae ;  
 46 aut Antenorea si quid in urbe latet.  
 47 Obtulit et veteres regalia munera libros,  
 48 et quos praeterea Gallia dives habet.  
 49 Publica quid differs etiamnum vota morando ?  
 50 Quid premis immiti scripta polita manu ?  
 51 Jam tibi, victuri specimen juvenile laboris,  
 52 Stadius in famam grande praeivit iter.  
 53 Auspiciis cessas cur tam felicibus uti ?  
 54 Scaena rudimentis contigit ampla tuis.  
 55 Non valet, ut cupiat, plausum tibi Fama negare,  
 56 prodiga tam larga quem dedit ante manu.  
 57 Ecce, Palatina mihi Cynthius annuit arce.  
 58 Augurio certam jam dedit ille fidem.  
 59 Tu modo Pierios in lucem mitte libellos.  
 60 Hoc Deus, hoc mecum postera turba rogant.

## ELEGIA IV.

AD CONST. HUGENIUM ZULICHEMIUM, CONST. FIL.

E\_4 v.1 O quem Pierius stupefactum misit in orbem,  
 2 tot monumenta inter non moritura, pater ;  
 3 cuique animos finxit quaevis ad summa capaces,  
 4 ut magis assimilem se neget ipse sibi ;  
 5 quid juvat Heinsiacas te tollere carmine Divas ?  
 6 Quid pretium curae ponis, Amice, meae ?  
 7 Deprecor invidiam. Satis est placuisse, nec ultra.  
 8 Saecula quam non sint candida nostra vides.

9 Saecula praeclaris conatibus invida, queisque  
 10 grande nefas Paeon, grande Thalia nefas.  
 11 Omnia Livori sunt pervia. Pythia Livor  
 12 templa quoque irrumpit, Pieriosque choros.  
 13 Qui mihi cum Musis dos, Constantine, paterna est,  
 14 venit ad haeredem tota caterva suum.  
 15 Finge tamen meruisse (at non meruere) probari  
 16 carmina nostra, lyrae molle sonantis opus.  
 17 Parce, precor, tenera dum luxuriamus in herba.  
 18 Uberior tanto mox tibi messis erit.  
 19 Non bene conveniunt oneri nova colla ferendo :  
 20 nec facit ad palmam, ni sit adultus, equus.  
 21 Jam ventura mihi (vivam modo) firmior aetas,  
 22 hactenus ardori frena neganda meo.  
 23 Scilicet Invidiam tunc irritabimus ultro,  
 24 inque quiescentem quamlibet arma feram.  
 25 Pax mihi non tanti est ingloria. Pax mihi tanti  
 26 nulla, sine Invidia vivere ut ipse velim.  
 27 Hinc animos metire meos. Petit ardua rerum,  
 28 nec nisi victuras obsidet illa domos.  
 29 Livor iners, rumpare. Licet fera tela minentur,  
 30 fortis io, qui te provocet, hostis adest.  
 31 At nunc innocuos Elegeia ventilet ignes,  
 32 quodque legat, tenerum Lux mea dictet opus.  
 33 Quae vultum ingenio, vultum licet optima, vincit.  
 34 Hoc colit, huic totos datque dicatque dies.  
 35 Phoebe, tuam Leidam, patriam, pater, inspice nostram.  
 36 Ut mea Lux sancti numine plena loci !  
 37 Negligit, Hugeni, formam quoque. Forma pudori est.  
 38 Nec de se speculo credit iniqua suo.  
 39 At tua, queis capiare, tibi ferat Haga puellas.  
 40 Hanc Amor, hanc legit mater Amoris humum.  
 41 Sed comptas pictasque feret, minimeque Batavas.  
 42 Exsulat haud ulla factus ab arte decor.  
 43 Simplicitas etiam vetus exsulat. Elige quamvis.  
 44 Rara venustatis dote probanda suae.  
 45 Conciliatrici sine pyxide rara placebit.  
 46 Ah pereat fuci, Jupiter, omne genus !  
 47 Scilicet Eeos hac lege subegimus Indos,  
 48 solis in occiduam misimus arma domum ?  
 49 Hoc fuit, ignotas penetrasse, Batavia, gentes ?  
 50 Hoc, tibi tot domito parta tropaea mari ?  
 51 Spernite, quae sapitis, peregrina merce probari.  
 52 Si qua sibi pulchra est, haec quoque pulchra mihi est.  
 53 Sordida dum ne sit, veteresve imitata Sabinas.  
 54 Ingenuo facilis rideat ore nitor.  
 55 Addere nunc varios, nunc demere, turpe colores.  
 56 Quale tibi, Proteu, conveniebat opus.  
 57 Barbara tam foedo capiat Iberia ritu,  
 58 et pudor in Mauras transeat iste nurus.  
 59 Quae studet, et non est, populo formosa videri  
 60 se lenocinio venditat ipsa suo.  
 61 Adde, quod enervant animos hac fraude viriles.  
 62 Pulchra coli modico corpora fine sat est.  
 63 Luxus iners vitium miseros male perdit amantes,  
 64 corporeis tantum dum favet usque bonis.  
 65 Quis Parin, aut Helenen Paridis, Menelae, probarit,  
 66 qui probet Andromachen Andromachesque virum ?

67 Et tibi, quicquid habes famae, sine conjuge partum.  
 68 Mole tibi tanta vix repetenda fuit.  
 69 Quid facis, Atride ? Pelopea inglorius aula  
 70 non bene sedisses, ni bene rapta foret.  
 71 Tyndaris Hectoreo jaceat, Menelae, cubili ;  
 72 crede mihi, ponant Dorica castra metum.  
 73 Hic quoque, qui nimium tibi conjuge gestit adempta,  
 74 Martia belligeras movit in arma manus.  
 75 Movit, inornatae dum pendet ab ore maritae,  
 76 Ilia non comptos dum tenet Ida duos.  
 77 Et tamen Oenonen vatam Deus ipse petebat.  
 78 Nulla Helene tanti, Phoebe, futura tibi.  
 79 Fama quid indomito tulit Hercule majus, et illo  
 80 spumeus Aetolam qui terit amnis humum ?  
 81 In Parthaonia capti tamen Euenine,  
 82 iste accessurus Dis licet, ille Deus.  
 83 Compta quidem (sed enim parce quoque compta) fuisti,  
 84 rapta per Herculeas Deianira manus.  
 85 Ausa animis in bella viro comes ire paternis,  
 86 sive tuis, Tydeu, seu, Meleagre, tuis.  
 87 Conjugis e gremio perituros ibat in hostes :  
 88 quaeque manu clavam traderet, uxor erat.  
 89 Perfidus ut deflexit ab hac Amor heroina,  
 90 Lydaque Dircaeo Nympha recepta sinu,  
 91 desidis amplexum dominae tulit ; ille, ferenti  
 92 sarcina cui caelum, sarcina terra fuit.  
 93 Magna Jovis gratare tibi soror, Hercule fracto.  
 94 Pellicis ignava comitur ecce manu.  
 95 Heu, ubi pax rerum est, ubi nunc tremor ille ferarum ?  
 96 Jupiter agnoscat vix genus ipse suum.  
 97 Amphitryoniade, sceleratas excute flammis ;  
 98 en tibi vaticinor jam periture necem.  
 99 Ingenium comptis, Hugeni, vile puellis.  
 100 Ne placeat, solo corpore si qua placet.  
 101 Dii bene, lasciva mea Vita quod exsulat Haga !  
 102 Fallor ? An ad talem jam facit illa locum ?  
 103 Delicias nuper quales mihi callida fecit !  
 104 Quam patriae ritus, non male docta suae !  
 105 Oscula sive alio, seu me dedit illa magistro,  
 106 ah data quam cuperem tam bona nulla mihi !  
 107 Profectum nimis o, mea Lux, tibi ! Parce doceri.  
 108 Vae mihi ! discipula sum minor ipse mea.  
 109 Tu quoque, si sapias, (at enim sapias) optime vatam,  
 110 incipe nativa simplicitate capi.

## ELEGIA V.

IN JOHAN. ERPENIUM, THOMAE FIL.  
 CUM DE ROMULI PRINCIPATU POLITICE DISPUTARET.

E\_5 v.1 Sacra facit Musis Erpenius. Ausa secudent  
 2 ominibus Paeon Pieridesque suis.  
 3 Tuque puerperio capitis prognata paterni,  
 4 huc, Dea, spectatum, si sapias, ipsa veni.  
 5 Res tua nunc agitur : caelo descende relicto.  
 6 Gloria, si nescis, non levis ille tibi.  
 7 Cernis ut egregio genitorem praeferat ore ?

8           Hoc, Dea, cognitius vix tibi nomen erat.  
 9       Nempe, pererrati spoliis Orientis opimus,  
 10       qui patriae ignotas tot reseravit opes.  
 11       Quicquid palmifera Solyme meditata sub umbra ;  
 12       quicquid odorata messe beatus Arabs ;  
 13       sacraque devexit Nabathaeo primus ab orbe,  
 14       osque Palaestinae gurgite lavit aquae.  
 15       Adde, quod in gnatum (ne mortuus esse putetur)  
 16       virtutis meritum transtulit omne suae.  
 17       Scilicet aeternae qui nunc cunabula gentis,  
 18       et Capitolini detegit orsa Jovis,  
 19       moeniaque evolvit trabeato structa Quirino,  
 20       fataque consortis sanguinolenta Remi.  
 21       Curque novos Tattius, sed non impune, Quirites  
 22       noluerit socii gaudia ferre tori.  
 23       Quid prohibere paras thalamos, odiose, jugales ?  
 24       Strage, miser, quanta facta profana lues !  
 25       Rusticitas in Rege scelus. Procul exeat aula,  
 26       si quis inaccensum Cypride pectus habet.  
 27       Romule, nil metuas, ne sit tibi praeda rubori.  
 28       Si sapis, utendum nunc tibi jure tuo.  
 29       Justa negat Tattius : fas cogi justa negantem.  
 30       Quam tibi concessas mox velit ille nurus !  
 31       Quod rapis invitas, nimium sapienter agebas.  
 32       Crede mihi, tanti foeda repulsa fuit.  
 33       Nunc etiam Erpenio tua iudice causa probatur :  
 34       audiat Oebalius quamlibet ipse Titus.  
 35       Magne pater, laudes admitte benigniter illas.  
 36       Haec pietas cura digna, Quirine, tua.  
 37       Sic, precor, assidue caelo manifesta sereno  
 38       caesaries castae fulgeat Hersiliae.  
 39       Sic, precor, invictos Genitor tuus ille Batavos,  
 40       ut facit, Hesperio semper in hoste juvet.

## ELEGIA VI.

AD HENR. BRUNONEM,  
 DE LUSU VIRGINUM BATAVUM IN GLACIE.

E\_6       v.1       Heinsiadae nisi forte tui te cura reliquit,  
           2       parsque sodalicii nulla putare mei ;  
           3       flebile dilecti fatum misereris amici,  
           4       languida, si dicam, nunc quoque membra traho.  
           5       Quodque mihi languore malum praesentius ipso,  
           6       Pieris ad solitam non venit ulla chelyn.  
           7       Obtudit ingenium torpentis inertia venae,  
           8       corporis et vitio mens hebet aegra sui ;  
           9       at tibi semper adest in vota vocantia Phoebus,  
 10       et bibit assiduas aure favente preces.  
 11       Te domus Aonidum Zulichemia, candide Bruno,  
 12       Numinis expertem non sinit esse sui.  
 13       Ut Paeon jam desit, habes vel in hospite Phoebum.  
 14       Nil valet, hoc salvo, Cirrha negare tibi.  
 15       Quod nisi degeneras tam claris incola tectis,  
 16       laudis inexpletus te quoque torret amor.  
 17       Nec male tentatae jam successere Camenae.  
 18       Jam populo plausus dante tulere suos.

19 Perge, decus Juvenum, Famae nova cura Batavae,  
20 altius humana pectora ferre via.  
21 Perge, precor. Sic sacra tuis domus annuat ausis ;  
22 annuat et sacrae sic pater ipse domus.  
23 Ille animus vasti, quaquam patet, aetheris hospes  
24 scilicet ignotum nil dabit esse tibi.  
25 Seu juvat Auriaco concussas fulmine moles,  
26 Martiaque invicti condere gesta Ducis ;  
27 nempe comes domino bellanti semper adhaesit,  
28 sanguineam quoties stravit Iberus humum.  
29 Seu libet Idalios memorare Cupidinis arcus ;  
30 hic quoque, si nescis, non rude pectus habet.  
31 Quicquid ages, quocumque vagam moderabere pinum,  
32 diriget afflatu vela secunda suo.  
33 Felices, quibus ire datum per inhospita Pindi,  
34 inque parum trito figere calle gradum.  
35 At mihi vel primo caligant lumina clivo,  
36 succidui lassum deficiuntque pedes.  
37 Nunc quoque torpentem geminat rigidissima morbum,  
38 quoque minus vigeant pectora, praestat hiems.  
39 Et tamen invitum capiunt fera frigora vatem,  
40 atque aliqua saltem se mihi parte probant.  
41 Aspice constrictum brumali compede Rhenum,  
42 languidus ignavis hic ubi repit aquis.  
43 Ecce viri, mixtaeque viris simul ecce puellae,  
44 mobile duratas ut terat agmen aquas.  
45 Lubrica crispantur rapido talaria cursu,  
46 ceu Gortyniaca spicula torta manu.  
47 Palma tamen meritis donetur prima puellis,  
48 praetereunt illae, cum voluere, viros.  
49 Ecce procul, procul ecce, volatilis alite motu  
50 ludat ut instantem virgo superba procum.  
51 Stulte, sequi frustra dominam conare relictus.  
52 Stulte, nimis tardo non adeunda tibi.  
53 Vota quid affectas fugitivam vana puellam,  
54 pomaque Tantalea non capienda manu.  
55 Irritus admissam sic te, Penei, premebat,  
56 qui Deus Aonium pollice verrit ebur.  
57 Talem credibile est Schoeneida Nonacrinem  
58 fulmineo juvenes praeteriisse pede.  
59 Delia venantem sic torruit Oariona,  
60 concita Partheniam dum Dea lustrat humum.  
61 Si tua, Procri, soror Boreae sic visa fuisset,  
62 vix erat Odrysia praeda futura Deo.  
63 Ah miseri ! Ignosco vobis, quicumque caletis.  
64 Ipsa Venus saevis edita fertur aquis.  
65 Quod nisi numen iners, rigida nisi lentior unda est,  
66 Rhenus in hibernis aestuat ipse vadis.  
67 Et modo praecipitesque pedes, tunicasque fluentes,  
68 pectoraque audaci paene resecta Noto,  
69 et modo sub tunica miratur crura reducta.  
70 Hinc quoque correptum Milaniona ferunt.  
71 Parce, pater, teneras, ah laedere parce puellas !  
72 Praedaque de tanto sit grege nulla tibi.  
73 Sicelis Eleis sic capta Arethusa sub antris ;  
74 Ilia sic crimen Martia, Tibri, tuum.  
75 Corniger et Tyriam rapuisse Numicius Annam  
76 dicitur ; ut tectis cessit, Iule, tuis.

77 Vix Cyrenaei regalia limina Batti  
 78 liquerat, et profugae mitia regna rati ;  
 79 excipit ejectam Latia dux Dardanus ora,  
 80 et lare navifragam muneribusque fovet.  
 81 Quam freta servarant, crudelior abstulit amnis.  
 82 Scilicet hoc miserae bis periisse fuit.  
 83 Ah quid Pygmalion, ah quid Gaetulus Iarbas  
 84 saevius ausuri, si caperetur, erant ?  
 85 At tu, Rhene, fave popularibus, o bone, Nymphis,  
 86 hoc, pater, aeternum sic capiare joco.

## ELEGIA VII.

## AD LISAM AEGROTANS.

E\_7 v.1 Indue funerea feralia limina taxo,  
 2 membraque pullata squallida veste tege.  
 3 Deliciae, mea Lisa, tuae, tuus Heinsius ille,  
 4 ille tuus vates, ah, mea vita, fuit !  
 5 Ni l pia Minoum tetigerunt vota tribunal.  
 6 Non exorandos parce rogare Deos.  
 7 Cur doleas, nihil est. Noli, carissima, noli  
 8 funeris invidia fata gravare mei.  
 9 Siste pios gemitus. Alia tentabimus arte,  
 10 ferrea quod nobis, vivere, Parca negat.  
 11 Est aliquid, doctum monumentis ire per orbem,  
 12 hac mea pensentur funera dote tibi.  
 13 Sic melius juncti seros numerabimus annos.  
 14 Juris in hoc Lachesis par habitura nihil.  
 15 Securum quid vana tui Proserpina terres ?  
 16 Praecipitata licet nil mihi fila queror.  
 17 Ocius umbriferam jam, Navita, solve carinam.  
 18 Non ego Taenarios deprecor ire lacus.  
 19 Tempora qui tacitae transegit inertia vitae,  
 20 horreat extremum devoveatque diem.  
 21 Quod satis est , vixi. Non me mea nesciet aetas,  
 22 nec vehet ignotum Styx taciturna caput.  
 23 Scilicet obtinui, quicquid sperare modestae  
 24 a Jove tam facili sustinere preces.  
 25 Indolis exhibui mundo documenta paternae,  
 26 pignoraque Heinsiaca non dubitanda domus.  
 27 Testor Hyanteas mihi praesentissima divas,  
 28 et citharae vatis numina prona sui.  
 29 Irrita votorum, Superi, pars nulla meorum.  
 30 Sic premat exstinctum ne mihi terra caput.  
 31 Adde quod et lacrimae solamina magna relinquunt,  
 32 affecto mea Lux quas dedit usque mihi.  
 33 Tum quas credibile est oculo uberiore daturam,  
 34 cum premet abruptam jam mihi Parca colum.  
 35 Ipse ego vix aliter rapta, quod abominor, illa  
 36 funere tam caro condoliturus eram.  
 37 Quin fomenta dedit, quin consolata jacentem est ;  
 38 finxit et admota languida membra manu.  
 39 Ergo ego sustineam Domina plorante subire  
 40 Elysios campos Elysiumque nemus ?  
 41 Stamina crudeles properata retexite, Parcae.  
 42 Lisa parentatrix invidiosa mihi.

43 Ne, precor, hac noxa cineres onerate quietos.  
 44 Hei mihi ! Tun' de me sic, mea Vita, doles ?  
 45 Ah ! Sat erat nimiumque, semel vidisse gementem.  
 46 Hei mihi quod voto tristior illa meo est !  
 47 Tu quoque cognatis, Genitor miserande, verendos  
 48 exsequiis gemitus qui pia justa dabis,  
 49 parce, precor, sobolique parens gratare peremptae.  
 50 Non trahar ad Stygium degener umbra forum.  
 51 Dii, bene, quod tantae foedatum crimine labis  
 52 Gnosias intransentem non aget urna reum !  
 53 Obvius ipse sui Rutgersius ora nepotis  
 54 induet assueta caraque colla manu.  
 55 Sic te tabescat malesana superstite longum  
 56 invidia, et titulos ploret inulta tuos.  
 57 Causaque sis illi multum renovanda doloris ;  
 58 adjicient annos dum tibi Fata meos.  
 59 Famaque continuet solita tibi plaudere penna ;  
 60 laudibus intersis et diurne tuis.

## ELEGIA VIII.

## AD FONTES SPADANOS.

E\_8 v.1 Spadanae rupes, et rupibus insita quercus,  
 2 umbra fatigato quercus amata mihi,  
 3 qaeque salebrosis trepidantes undique silvis  
 4 noxia perspicuae fata domatis aquae,  
 5 vosne relicturus placidae sua gaudia sedes  
 6 Heinsius in patriam jussus abibit humum ?  
 7 Et certe rediturus abit. Torquebitur absens,  
 8 et desiderium sentiet usque loci.  
 9 Vos oculis animoque atque altis sensibus ille,  
 10 pectore vos memori nocte dieque feret.  
 11 Donec ad innocuas dent Fata recurrere sedes,  
 12 et tangam reduci limina nota pede.  
 13 Hunc propera mihi, Phoebe, diem. Sic ne tibi posthac  
 14 Evius intonsae certet honore comae.  
 15 O ego Taenarii quoties penetrabile tyranni,  
 16 et Phlegethonteos dictus adisse lacus !  
 17 Respexere loci miserum pia Numina vatem.  
 18 Jam conclamato reddita vita mihi.  
 19 Currite io posthac mi, stamina, parcius, oro ;  
 20 supprime sacrilegam, Parca profana, manum ;  
 21 molliaque e niveo mihi vellere texite fila,  
 22 dii, precor, et vitae fusa novate meae.  
 23 Ah satis, invalido miseram periisse juventam !  
 24 Nunc colus auspicio candidiore fluat.  
 25 Ergo ea lux speranda, Dei ; qua debita vobis  
 26 dona reus voti rite dicanda feram ?  
 27 Lux aderit. Niveam jam nunc mihi pascite vaccam,  
 28 cui premat intextum frondea vitta caput.  
 29 Illa securifero terrae collapsa sub ictu  
 30 tinget odoratos multa cruore focos.  
 31 Jamque aderit mea Vita, piae pars maxima pompae ;  
 32 raptaque sollicita consulet exta manu.  
 33 Vili anima pro nostra anima tibi, Parca, litamus,  
 34 dignior haec Stygio cedere praeda Jovi.

35 Quid cum barbarico cultis Acheronte poetis ?  
 36 Indociles citharae sustinet ille Deos.  
 37 Quos nec Apollineus fidibus deliniit Orpheus.  
 38 Nil facit ad surdas barbitos ulla fores.  
 39 Quid mihi cum tenebris ? Inimicae vatibus umbrae  
 40 sidereum Phoebi gens amat illa jubar.  
 41 Phoebus inaspectum, quamvis sibi cuncta tuenti,  
 42 Taenariae Lethes non negat ipse chaos.  
 43 Haud tamen Elysium quondam nemus ire recusem.  
 44 Sed mora, dum valeam corpore, parva sat est.  
 45 Hanc quoque cur voveam, mea Lux facit. Obstat ituro,  
 46 fataque tardantes injicit usque manus.  
 47 Certa mori misero quoties mihi vota fuerunt !  
 48 Excutit haec lacrimis fortia vota piis.  
 49 Nec mora ; jam lacrymis superaddit amabile murmur :  
 50 Ferree, me salva sunt tibi vota mori ?  
 51 Parcite, Dii Stygii, precibus dare pondera nostris.  
 52 Vix ego, cum peterem talia, sanus eram.  
 53 Ah melius, bona Fata, simul vivamus uterque !  
 54 Ipse legam canos illius, illa meos.  
 55 At vos, sulfureo rorantes gurgite silvae,  
 56 vestrone Heinsiades munere sospes erit ?  
 57 Dilecta o salvete mihi loca ! Vos ego certe,  
 58 pectore vos fixi non abitura meo.  
 59 Sive iterum optatis admittar sedibus hospes,  
 60 seu lustrata sat est vos semel esse mihi.

## ELEGIA IX.

## HYMNUS BACCHI.

E\_9 v.1 Annua venerunt genialis festa Lyaei.  
 2 Huc ades in laudes, Bacche jocose, tuas.  
 3 Nil equidem quod luce, pater, te dignius ista  
 4 possit agi video. Tu modo, Bacche, fave.  
 5 Pocula nunc agili persultant agmine mensam,  
 6 cordaque luxuriant numine tacta tuo.  
 7 Nos quoque, Bacche, tuo nos numine, Bacche, calemus.  
 8 Blande pater vini, blande repertor ades.  
 9 Multa mihi occurrunt laudum argumenta tuarum.  
 10 Quod modo principium, quis modo finis erit ?  
 11 Numquid, ut ereptum Semelaea Jupiter alvo  
 12 te pius e medio sustulit igne pater ?  
 13 At te terribiles cingebant fulminis alae,  
 14 magne nepos Cadmi, sulfureumque jubar.  
 15 Lambebat tibi flamma comam ; nec pervius igni  
 16 verticis innocue luxuriabat apex.  
 17 Sarcina mox femori latuisti clausa paterno.  
 18 Unde etiam nomen, Bacche Bimater, habes.  
 19 Sancte pater, faveas. Nec enim tua gesta canentem  
 20 numinis expertem me decet esse tui.  
 21 Neu mihi sit crimen, per laudes surgere tantas,  
 22 quas et confessa est saepe noverca prius.  
 23 Ecquis nam se, sancte, tibi componat, et ecquis  
 24 anteferat Superum : proximus ipse Jovi es.  
 25 Te ferus Enceladus flammanti subditus Aetnae,

26 Enceladus superas ausus in ire domos,  
 27 te pulsata, pater, moribundo Phlegra Typhoeo  
 28 sensit, et Alcyoneus terrificusque Gyes.  
 29 Porphyrion trux ille tibi, tibi Rhoecus et Otus,  
 30 Oromedonque ingens, succubuitque Mimas.  
 31 Macte, pater, metuende manu. Tibi Jupiter ipse  
 32 nomina victori vera, Thriambe, dedit.  
 33 Vitisator Lenaeae, tui servator Olympi,  
 34 cui Mars fulminea cesserit ipse manu,  
 35 funde Maroneo spumantia pocula rore.  
 36 Pocula funde, pater, non nisi plena tui.  
 37 Te quoque Terrigenis animosum, Bacche, subactis  
 38 ter cyathos ternos evacuasse ferunt.  
 39 Obductae arebant spisso tibi pulvere fauces.  
 40 Discolor hostili sanguine vultus erat.  
 41 At tibi potanti genitor procul omnia laevo  
 42 terna favens tonitru, fulmine terna dedit.  
 43 Magne Pater Patriae, si quid pia vota valebunt,  
 44 per servata tibi sidera semper eas.  
 45 Victa tuos decorat Gangetica terra triumphos.  
 46 Inde tibi currum nunc quoque lynces agunt.  
 47 Deriades te, magne pater, te sensit Orontes,  
 48 nomina letali cum sua fixit aquae.  
 49 Ibat ovans animis et adustos horrida vultus  
 50 India belligerum tota secuta ducem.  
 51 Quaeque unguentatos nutrirant Bactra capillos ;  
 52 Bactra sagittifera conspicienda manu.  
 53 Undique gemmato radiabant tegmine mitrae ;  
 54 undique et auratis arma superba notis.  
 55 Pro te Dictaea ensiferi Corybantes ab Ida  
 56 turba ferox stabant, Bassaridumque manus.  
 57 Ipse neci victor thyrso metuente domari  
 58 Deriadae generum Deriadenque dabas.  
 59 Protinus abjectis exercitus Indicus armis  
 60 regis ab interitu terga dedere sui.  
 61 At tibi de spoliis Nabathaei, Bacche, triumpho  
 62 tura suis Mystae rite dedere focis.  
 63 Ivit in exemplum pietas laudata tuorum.  
 64 Scilicet hic Superis nunc quoque gratus odor.  
 65 Regna quid Odrysii memorem concussa Lycurgi,  
 66 et domitum auspiciis Strymona, Bacche, tuis ?  
 67 Juste tui vindex ; tibi enim, tibi perfidus ille  
 68 morte dedit poenas, truncus utrumque genu.  
 69 Vix bene pampineas succiderat undique vites,  
 70 sacrilegae dominum cum petiere manus.  
 71 Caede jacet merita. Te successore superbae  
 72 non hoc Bistoniae terra vel ipsa neget.  
 73 Quid consanguinei dignissima praeda furoris,  
 74 Aonia Pentheus dilaniatus humo ?  
 75 Et qui Tyrrheno mutatis gurgite nautis  
 76 Ionias delphin nunc quoque sulcat aquas ?  
 77 Fixa ratis mediis, ceu saxea, fluctibus haesit,  
 78 numinis ad nutum stare coacta tui.  
 79 Pampinus intortos obnubere fronde rudentes  
 80 ilicet, et mediam cingere visa ratem.  
 81 Ipsi autem inductis variati tergora squamis  
 82 praecipites altis insiliere vadis.  
 83 Victor io, ter, Victor io ! Tibi, corniger Evan,

84 Terra parens fracta est, India fracta tibi.  
85 Magne Deum, salve, neu se tibi misceat unda.  
86 Nil facit ad vires degener unda tuas.  
87 Tu mentem exhilaras, exsultantemque recludis.  
88 Tu procul ignava pectora tollis humo.  
89 Tecum Simplicitas, tecum Candorque Salesque,  
90 tecum nata Fides innocuusque Lepor.  
91 Te sine victa fugit facundia, magne Thyoneu.  
92 Te sine libertas pectoris illa jacet.  
93 Curarum domitor, curarum blande subactor,  
94 grata quies animis, candide Liber, ades.  
95 Tu quoque sensisti Venerem, pater : et tibi saepe  
96 pectore in intrepido vulnera fecit Amor.  
97 Testis Hymen Hymenaeus erit, tibi carus amanti.  
98 Unde novis nuptis nunc quoque dexter adest.  
99 Quique tibi crines hedera viridante revinctos  
100 cissus adhuc memori, candide Bacche, premit.  
101 Tu quoque, Sangarius Phrygiis quem vidit in arvis  
102 mutatum croceas, Ampele, vite comas.  
103 Tum Beroe, jungenda toro tibi, Bacche, jugali  
104 rapta foret patruo ni miseranda tuo.  
105 Sed tamen ante omnes, quae neptis Agenoris alti  
106 a tibi cognata Gnosias orta domo.  
107 Illam Dictaeis avectam perfidus oris,  
108 perfidus in sola liquerat hospes humo.  
109 Liquerat, et profugus nocturnae litore Diae  
110 praecipiti dederat vela ratemque Noto.  
111 Illa quidem clamabat, "Io ! quo, perfide Theseu,  
112 perfide, quo properas me sine ? Siste fugam."  
113 Hactenus ; et lacrimae commendavere querentem.  
114 Pulsabat niveos unda marina pedes.  
115 Ecce, parens Evan superato victor ab hoste,  
116 inque triumphali tigride vectus adest,  
117 pone sequebantur Satyrorum pota juvenus,  
118 et blaesae nimio Thyades ora Deo.  
119 Non ille invidiam sceleris tulit. Utque videbat,  
120 desilit. Aetherium litora movit onus.  
121 Et, "Quonam, miseranda, dolor ? Quid Thesea clamas ?  
122 Ipse tibi Theseus, ipse maritus ero."  
123 Dixerat ; in currus e litore sustulit aureos.  
124 Verba fides sequitur, Gnosia : nupta Deo es.  
125 Nunc quoque nocturno spectabilis aethere fulges,  
126 et regis incertas Cressa Corona rates.  
127 Hic ubi, Cecropiis ah invidiose colonis  
128 Icare, non meritae praemia mortis habes.  
129 Erigoneque necem nimium dolitura paternam,  
130 nec procul a domina Maera notanda sua.  
131 Tu caelum meritis, tu terram, Bacche, replesti.  
132 Illa tibi segetes debet arata suas.  
133 Primus inexpertam docuisti findere terram ;  
134 primus inexperta spargere semen humo.  
135 Te colit inde suum Mareotica Memphis Osirin,  
136 cum quatit attonita tinnula sinistra manu.  
137 Tu populis leges, tu primus jura dedisti.  
138 Debeat officiis hoc quoque terra tuis.  
139 Nec Phoebi invidia, aut Cereris moveare, memento.  
140 Vindicet haec leges, vindicet ille tuas.  
141 Callida Triptolemo fruges tibi, Bacche, repertas

142           quid quod in Actaeam spargere jussit humum ?  
 143       Nec tamen ipsa negat. Nam cum furialis Eleusin  
 144           rite colit Cererem, te quoque rite colit.  
 145       Nec male cum Phoebō tibi convenit. Unus utrique  
 146           mons sacer, Aonii quem secat humor equi.  
 147       Nec Deus aeternis praesentior ille poetis  
 148           te, pater, aut populo notior ipse suo.  
 149       Quo feror ulterius ? Quo me, pater, abripis ultra ?  
 150           Jam stupet ad laudes ebria lingua tuas.  
 151       Da calicem mihi, Bacche, tuum, mitramque virentem,  
 152           nebridaque, argenti quae mihi membra tegat ;  
 153       et, qui sustineat titubantia corpora, thyrsū.  
 154           Sed capiti serva cornua sola tuo.  
 155       Deprecor hoc unum. Vix sunt tua cornua, vix sunt  
 156           munera temporibus commoda, Bacche, meis.  
 157       Vota tamen tibi, magne pater, praestanda supersunt,  
 158           legifer Inoae nate sororis, ades.  
 159       Siste merum mihi, siste, puer. Quid, lente, moraris ?  
 160           Nil mihi cum lympha. Tu modo siste merum.  
 161       Quid cunctare, puer ? Quid inania pocula Baccho,  
 162           lente puer, cessant ? Arida lingua siti est.  
 163       Magne pater Nyseu, seu Liber et Evius esse,  
 164           sive magis Bromius Nycteliusque cupis ;  
 165       quod si rite, pater, tibi sacra peregrimus olim ;  
 166           nunc mihi lenis iō, nunc facilisque veni.  
 167       Membra tremunt titubantque mihi, nutantque labantque.  
 168           Bacche, vacillantes, huc age, siste pedes.  
 169       Quid fessum ulterius, Lenaeae bicorniger, urges ?  
 170           Quo rapis ignavum ? Quid tibi dulce mei ?  
 171       Evoe ! Quo properas ? Pater, evoe, Bacche, quid instas ?  
 172           Quid tibi vis, Eleleu ? Quid, Dionyse, tibi ?  
 173       Iraphiota, Phanes, Paeān, Brysee, Sabasi,  
 174           Bassare, Lyncnita, quid mihi corda quatis ?  
 175       Quo tendis, Dithyrambe ? Quid, indetōse Thyoneu,  
 176           pectoris oclusas concutis usque fores ?  
 177       Parcius attonitum, pater, o pater, obrue vatem ;  
 178           neu preme trux toto corda sepulta Deo.  
 179       Sic tibi flexipedes obnubant ora corymbi  
 180           semper, et instabilem fulciat hasta gradum,  
 181       sic tibi purpurea cingatur nebride pectus ;  
 182           mitratusque sacro vertice surgat apex.  
 183       Sic perfusa suo titubent tibi membra liquore,  
 184           muneribus madeas et, pater, usque tuis.  
 185       Non ego Deriaden inimica classe secutus  
 186           in te signa ferox impia, Bacche, tuli ;  
 187       mysticave irrupi sacraria. Non ego favi,  
 188           sive tibi, Pentheu, sive, Lycurge, tibi.  
 189       Fallor ? An insano reboat clangore Cithaeron ?  
 190           Cymbala terrifico quis quatit iste sono ?  
 191       Quis procul ille senex, qui pando nutat asello,  
 192           et ferula lentos increpat usque gradus ?  
 193       Hinc agiles Satyri cum nubigenis Centauris,  
 194           inde leves thyasos ebria Maenas agunt.  
 195       Ecce, vacillantes adducunt orgia Mystae.  
 196           (Cedite de media, turba profana, via.)  
 197       Cistaeque nocturnis et vannus conscia sacris  
 198           pone jacent terrae, nec procul inde cadī.  
 199       Quid loquor ? Aut ubi sum ? Quo lectus inhorruit oestro ?

200           Attonuit mentem quis mihi, Bacche, furor ?  
 201       Evoe ! Quo rapimur ? Viduatam frondibus hastam  
 202           Bassaris indomita concutit, ecce, manu.  
 203       Evoe ! Jam sparsis per marcida colla capillis  
 204           conjiciet thyrsos in mea terga suos.  
 205       Quo fugiam, Lenaeae ? Tuum, precor, eripe vatem.  
 206           Versibus o posthac sic celebrere meis !

## ELEGIA X.

AD DANIELEM FANNIUM.

FABULA EURYDICES ET ORPHEI.

E\_10    v.1       Etsi nunc aliis agitatum pectora curis,  
           2           atque adeo Aoniae vix memorem citharae  
           3       terra Caledonio me detinet hospita tractu,  
           4           heu procul a Batavis dissita limitibus !  
           5       Limitibus Batavis ! Ubi caerulea Nereine  
           6           litora contiguo pulsat amata mari ;  
           7       Non tamen idcirco, rerum, dulcissime Fanni,  
           8           invia maerori pectora nostra putes.  
           9       Qui ferus externata malis tibi corda peredit,  
 10           dum miser absumptae fata gemis dominae.  
 11       Quamne tuis longe complexibus invida raptam  
 12           Persephone campos misit ad Elysios ?  
 13       Non ita Hyperboreis me Caspia cautibus ursa  
 14           edidit, aut silvis tigris Achaemeniis ;  
 15       dirave navifrago ructavit ab ore Charybdis,  
 16           tristibus ut nequeam comminui lacrimis.  
 17       Jamque adeo tua me assidue lugentis imago,  
 18           et maesti facies pectoris illa subit.  
 19       Talis et Ismario Eurydice plorata marito,  
 20           quoi niveum fixit dente colubra pedem.  
 21       At vates vates lugebat compare rapta,  
 22           luget ut amissum fida columba marem.  
 23       Illum flexanimis sociantem carmina nervis  
 24           portitor ipse Erebi, tergeminusque canis,  
 25       illum Taenario recubantes limine Parcae,  
 26           atque impexa comas Eumenis obstupuit.  
 27       Ipse parens olli Saturnius assurgebat,  
 28           ipsa tribus formis conspicienda Hecate.  
 29       Ille etiam Rhadamanthum et fas inamabilis Orci  
 30           carmine pacatum dicitur isse pio.  
 31       Plorabant umbrae Phlegethontides. Aeacus ipse,  
 32           ipse (licet flecti nescius illecebris)  
 33       lumina turbato lacrimantia pollice tersit,  
 34           et dedit Ismarias pondus habere preces.  
 35       At nimium accepta gavisus conjugue vates,  
 36           legis et infernae non memor, Eurydicen,  
 37       Eurydicen respexit amans, et blanda moranti  
 38           brachia nequicquam porxit. At Eurydice,  
 39       heu, miserum vatem non auditura reliquit,  
 40           testantem cari foedera conjugii.  
 41       Terque prehensabat, terque Eurydicen prensantis  
 42           lubrica frustrata diffluit umbra manu.  
 43       Hinc nemori Elysio et Taenariae convalli  
 44           redditur heu flexis illa retro pedibus.

45 Quid tibi nunc prosunt tua carmina ? Quid , miser Orpheu,  
 46 illa tuam toties saxa secuta chelyn ?  
 47 Tres illum Stygio perhibent in margine noctes,  
 48 noctibus et ternos conseruisse dies.  
 49 Irrita dum surdo jactantem carmina Porthmeo  
 50 Taenariis Pluton arcuit ipse adytis.  
 51 Tum vero externatus amans, mentemque dolore  
 52 percitus attonito palluit ora gelu.  
 53 Jamque ferit manibus pia pectora, jamque citatus  
 54 Thracia funesto pervolat arva pede.  
 55 Ille etiam longis Superos damnare querelis  
 56 ibat, et injustam dicere Persephonen.  
 57 Nec jam aut dilectae citharae memor aut chordarum,  
 58 unam inclamabat, ah miser, "Eurydicen".  
 59 Ismaros "Eurydicen", et Athos late geminabat,  
 60 "Eurydicen" Haemus, "Eurydicen" Rhodope.  
 61 At non Eurydice misero respondet amanti.  
 62 Una tacet scopulis surdior, una silet.  
 63 Eurydicen clamabat adhuc, cum Maenades ecce,  
 64 Maenades Ogygii pectora plena Dei,  
 65 rauca Mimalloneo quatientes cymbala ritu,  
 66 cum thiasis Satyrum Bassaridumque choro  
 67 Ismara Nysaeo complerunt arva ululatu ;  
 68 fataque plorantem comparis usque suae,  
 69 undique conjectis petierunt Orphea thyrsis,  
 70 Orphea sacrilega diripuere manu.  
 71 Tum quoque semianimi caput a cervice revulsum  
 72 nomine in Eurydices vix tacuisse ferunt.  
 73 Illinc Elysiis exceptus sedibus heros  
 74 nunc caram tuto respicit Eurydicen.  
 75 Tu quoque, Fanniade, nimios exclude dolores,  
 76 ne paria Orpheis fata miser subeas.

## ELEGIA XI.

## EADEM FABULA EURYDICES. AD LYGDAMUM.

E\_11 v.1 Numquam ergo, numquam raptae, miserande, maritae  
 2 aspera cessabis, Lygdame, fata queri ?  
 3 Omnia si facias, semperque doloribus instes,  
 4 continuesque piam, Lygdame, tristitiam ;  
 5 num tamen Ismarium superaveris Orphea flendo ?  
 6 Orphea, Taenariae cui patuere fores.  
 7 Nonne audita tibi Rhodopaeae gloria gentis,  
 8 quam pater e niveis Phoebus Hamadryasin  
 9 selectam thalamis gnati amplexuque dicarat ?  
 10 Sed non ulla manent gaudia firma diu.  
 11 Illa Deo geniti thalamis animosa mariti,  
 12 illa decus ruris, illa decus nemorum,  
 13 occidit icta pedem sceleratae dente colubrae.  
 14 Occidit, et caro conjugis in gremio  
 15 procubuit moribunda, et vultibus illius haerens  
 16 castam exhalavit deficiens animam.  
 17 At miserandus amans, viduatus conjugis cara,  
 18 intempestivis usque madet lacrimis.  
 19 Olli et Taenarii superatum limen Averni,  
 20 victaque flebilibus Persephonea modis,

21 olli etiam superas conjux revocata sub auras.  
 22 Heu felix ! si non praevis Eurydicen  
 23 respexisset amans dumoso in calle morantem.  
 24 Respicientis enim protinus ex oculis  
 25 Eurydice, nec jam Eurydice, praerepta mariti,  
 26 umbraque trans Stygios rursus adacta lacus.  
 27 At miser, at vates, jam bis viduatus, amicae  
 28 non exspectato comparis interitu,  
 29 mutus et attonita percussus mente pependit,  
 30 victima ut aerata tacta bipenne stupet.  
 31 Pone chelys, jam pone lyrae sua fila jacebant ;  
 32 nec testudineum dextra movebat ebur.  
 33 Ut dolor erupit, furiata mente citatus,  
 34 "Eurydice, Eurydice", rupibus Ismariis,  
 35 "Eurydice", Rhodopes in cautibus, "Eurydice", Haemo,  
 36 omnibus inclamat, "Eurydice", scopulis,  
 37 "Heu ! Quis praeripuit mihi te Deus ? Heu ! Quis amantum  
 38 gaudia crudelis tam cito dissoluit ?  
 39 Eurydice, misera Eurydice, Eurydice, heu, bis rapta",  
 40 non interruptis fletibus ingeminat.  
 41 Responsabat Athos, responsabatis et Haemi  
 42 culmina. At Eurydice rupibus Ismariis  
 43 jam procul, et longe Rhodopaeis cautibus ibat,  
 44 jam procul et caro conjugis a gremio,  
 45 Taenariis forsitan convallibus inter opacas  
 46 Elysiae sedes ibat amans siluae.  
 47 Saeva nec audibat miseri lamenta mariti.  
 48 Ille autem assiduis questibus usque favens,  
 49 Eurydicen poscebat, at Eurydicen poscenti  
 50 dira supervenit Maenas, et Ogygii  
 51 plena Dei vatem jactatis undique telis  
 52 non exauditum conficit. Ille tamen,  
 53 ut jacet, heu terrae raptos immurmurat ignes.  
 54 Dumque aliquid miserae restat adhuc animae,  
 55 rursus amans, et rursus amans iteravit amicum  
 56 nomen, et Eurydicen tunc etiam ingeminat.  
 57 Donec luminibus nox caligantibus orta  
 58 interceptit iter vocis, et Eurydices  
 59 abstulit invito nequicquam nomen ab ore,  
 60 cum vita nomen abstulit Eurydices.  
 61 Sunt quoque, qui citharam domini post fata perempti  
 62 te, "Eurydice, Eurydice", saepe iterasse ferant.  
 63 Tu quoque ab Orpheis edoctus, Lygdame, fatis,  
 64 neu nimium plores, neu nimium doleas.  
 65 Et potius nullos admittas pectore luctus,  
 66 quam miser Orpheo dilaniere modo.

+++++